Vir Excellentissime, Amplissime atque Doctissime,
Patrone cum cura colende,

Quum nostra ætas Te velut aquilam historiæ litterariæ colat et intueatur; hanc facile excusabis audaciam, qua Tibi obstrepere non erubesco. Quemadmodum enim cives consilia sua ad magistratum ante deferunt quam id, quod moliuntur, suscipiunt: ita meum esse existimavi, Tibi prius aperire, quam crudos publice propellere, conatus.

Arriserunt hucusque reipublicæ litterariæ die Gründl. Auszüge der Disputationum, et tantum non omnibus mirifice sese commendarunt. Restare mihi videntur Programmata Scholastica, eorumque selectiora, eodem instituto publicanda, et sermone vernaculo per Tomos eiusdem cum illis molis et formæ divulganda. Sunt ad manus Rigensia, Berolinensia, Francofurtensia, Brandeburgensia, Magdeburgensia, Halensia, Schleizensia, Arnstadiensia, et Servestana. Plura vero expecto et expeto ab iis, qui per litteras frequenter cum eruditis collo-

quartam, inter quos Te, Patrone, primo loco compello.

Opella argumentum et cuiusibet Tomi partes his absoluentur capitibus: 1) 10. programmata selecta Germanice conuersa. 2) Spicilegium quorundam programmatum superioris anni. 3) Noua programmata huius anni. 4) Noui libri, a scholarum magistris publicati. 5) Noui libri ad rem scholasticam pertinentes. 6) Noua scholastica.

Quod speciatim ad postremum caput attinet, facile intelligis, requiri prolixius litterarium commercium et frequentem publicarum lectionem relationum. Me igitur mirifice deuincies, si indicabis vel procurabis eiusmodi relationes, ex quibus discam, qui rectores sint mortui quiue magistri munus cum alio permutauerint, et quibus locus vacuefactus fuerit compensatus. Ephemerides enim litterariae Lipsienses non sufficiunt. Plura forsan habentur in Hamburgischen Berichten von gelehrten Sachen it. in Coburgischen Zeitungs-Extract, et aliis, quorum, ab aliis perlectorum, si copiam mihi feceris, non solum grates remittam, sed etiam, ne te laboris poeniteat, enitar. Vale, Vir Excellentissime, et faue studiis

Tibi obsequiosissimi

Numburgi ad Salam
prid. Cal. April.
1736.

M. Jo. Gottlieb Bidermann.
Correct. Schol. Episcopal.

beantw. d. 9. April. 1736.

A Monsieur
Monsieur Stolle,
Professeur tres
celebre
à
Iene.

par cours